

quod ipse praestabit, de verbo ad verbum nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium quantotius destinare procures. Datum Lugduni VIII. Kal. Januarii pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Lib. regestor. an. II. ep. 53. Tom. I. fol. 124 im Vatican. Archiv.

No. 129. 1244.

*Erzbischof Siegfried von Mainz verordnet, dass B. Conrad an der anbefohlenen Kirchenvisitation thätigen Antheil nehme.*

S. dei gratia sanctae Maguntinae sedis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius dilectis in Christo praeposito, decano et S. de Pigautia canonicis Misnensibus salutem cum vera in domino caritate. Ne propter absentiam aliquorum ex vobis, qui trahimini saepius ad ecclesiae vestrae magna negotia et diversa, officium visitationis iniunctae vobis valeat impediri, venerabilem fratrem nostrum dominum C. Misnensem episcopum vestrum vobis duximus adiungendum, discretioni vestrae data nobis auctoritate mandantes, ut eo ad visitationis officium advocato sine ipso in eo nullatenus procedatis, quia id ad honorem dei et ecclesiae vestrae felicem statum per ipsum vobiscum, quod decet et expedit, volumus ordinari. Datum apud Pragam.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit einem Bruchstück des Siegels an einem von der Urkunde selbst zum Theil losgetrennten Pergamentstreifen.

No. 130. 1245 27. Mai.

*P. Innocenz IV. beauftragt den Bischof zu Naumburg dem Domherrn zu Meissen, Capellan des Markgrafen und Pfarrer zu Schmölln Naumburger Diöces Alexander, der standesgemäss von dem Ertrag dieser Stellen angeblich nicht leben könne, zur Annahme noch mehrerer selbst mit Seelsorge verbundener geistlicher Aemter, vorausgesetzt, dass das jährl. Einkommen derselben 80 Mark S. nicht überschreite, Dispensation zu ertheilen.*

Innocentius episcopus etc. venerabili fratri . . episcopo Numburgensi salutem etc. Apostolicae sedis benignitas sic merita personarum etc. beneficiis honorare. Hinc est quod cum dilectus filius Alexander Misnensis canonicus, capellanus dilecti filii nobilis viri . . marchionis Misnensis, rector ecclesiae de Smolne tuae diocesis de beneficiis, quae obtinet, nequeat, ut asserit, iuxta nobilitatem suam et terrae consuetudinem congrue sustentari: nos eius supplicationibus inclinati, volentes ipsum prosequi gratia et favore, fraternitati tuae praesentium tenore committimus, ut secum, quod alia beneficia, etiamsi curam habeant animarum annexam, si sibi canonice offerantur, licite recipere ac cum obtentis licite retinere valeat, non obstante constitutione concilii generalis, dummodo tam eorum quae receperit, quam obtentorum proventus octuaginta marcarum argenti valentiam annis singulis non excedant, auctoritate nostra dispenses. Datum Lugduni VI. Kal. Junii pontificatus nostri anno secundo.

Aus dem Lib. regestor. an. II. ep. 559. T. I. fol. 188. im Vatican. Archiv.